

f 3. Reg. 20.

eius ditionem immisit [f]. Diu pdst Benadad validissimum exercitum ex 32. foederatorum sibi Regum copiis in Samariam ejusque Regem Achabum duxit. Achab viribus ad resistendum impar, hosti imperanti tradere aurum, argentum, uxores, filias, censuit parendum. Sed Rex Syriae his non contentus, annunciandum Israelitis praecipit: Cras hac eadem hora, mittam servos meos ad te, & scrutabuntur domum tuam, & domum servorum tuorum; & omne quod eis placuerit, ponent in manibus suis & auferent.

Achab hostis dolum sentiens, a quo captivitas sibi immineret; de suorum consilio sustinendam obsidionem bellicae eventum opperendum statuit. Arctam igitur coronam Urbe cinctam res ad summas annonae angustias devenerat. Quare Achab animo despondens, cum tristitia sibi omnia iam destinaret, a Propheta quodam spe promptae victoriae recreatus est. Nec vana nunciavit oraculum; nam Benadad ejusque exercitus victus fugatusque terga dare coactus est. Proximè tamen succedente anno, iterum Benadad ad priora studia (g); suspicatusque Deum Hebraeorum in montibus invalescere, in agro configere statuit. Igitur Rex Israel ad Aphec in Syriam usque progressus, confertis cum Syro manibus, 100000. hostium caesis, Regeque Benadad capto, insignem victoriam reportavit. Intempestivam Deoque invisam in victos clementiam Achab usus est; contentus enim exegisse ab hostibus Urbes Israeliticas jam ab ipsis occupatas, simulque ut vicis quosdam Israelitis in Urbe Damasci permitterent, quemadmodum suos habebant Syri in Urbe Samarie, nihil ultra quaesivit. Improbare Regis factum Deus per Prophetam quandam significavit, simul denuncians, ejus vitam rependendam vitam Benadad permittam.

Solutus igitur captivitate Benadad, Urbem Ramoth Galaad caeterasque, quas antea se restitutum promiserat, retinuit. Armis recipiendam Achabum, viribus cum Josaphat Rege Juda conjunctis, suscepit. Mandaverat Syrus, ut in Regem Israel tota belli moles verteretur, curareturque ut quacumque demum ratione vivus, vel saltem mortuus in potestatem veniret. Monitus ea de re Achab, immutatis vestibus se caeteris immiscuit, rogans Josaphat, ut ipse doctorem Regis insignibus assumptis exercitui universo praebere. Tota igitur belli vis in Josaphat, quem Israelis Regem credebant, versa; qui ad ultimas angustias redactus, edito clamore agnitus hostes alio avertit. Tum fortuito casu facta sagittam, quem hostes frustra quaerebant, Achab vulneratus est, atque ad lethum confossus, ejusdem diei vespere interiit (h).

Post aliquot annos, Benadad expeditionem in Joram filium ac successorem Achab suscepit (i). Sed Eliseus consilia omnia & insidias hostis Regi Joram revelante, Benadad proditum se intelligens, Prophetam in suam potestatem reducere tentavit. Missas ad eam rem copias Eliseus egcitate primum percussit, deinde incautos in mediam Samariam adducens, sublato ex

g 3. Reg. 15. 18.

h 3. Reg. 22.

i 4. Reg. 6. 8. 9.

oculis velo, proprium periculum intueri jussit; tum pastos refectosque liberos abire permisit.

Successit deinde moenibus Samariae cum exercitu Benadad (k); nec diu pdst ea annonae caritate urbs laboravit, ut mater quaedam fame efferata filium suum mactare atque in cibum sibi parare cogetur. Rex Israel in ultimam desperationem redactus, ad Prophetam Eliseum, causam omnium malorum, ut ipse quidem rebatur, in domo sua occidendum misit; sed paulo pdst praecipiti consilio revocato, ipse ad inhibendam executionem festinavit. Gnarus omnium Eliseus, in domo sua una cum senioribus populi sese continebat; ad quem cum Joram venisset, audivit mane subsequenti diei in tantam annonae vilitatem Urbem venturam, ut mensura farinae frumenti, & duae hordei siclo venderentur; quin & ab hostium metu Urbem liberam futuram. Nec vana nunciavit; nam intempestivam nocte Syri inopino terrore occupati, fugam sese praeparaverunt, castris & praeda omni relicta (l).

Cum Eliseus Damascum venisset, Regem Benadad morbo laborantem nactus est; ad quem statim Hazael unus ex Optimatibus ab ipso Rege missus consulendum de ejus valetudine venit. Vix in conspectum Hazael venit, cum obortis prius lacrymis denunciavit, Regem quidem eo morbo non perimendum, quamvis alioqui periturum sciret. Adjecit verò ejus loco ipsum Hazael regnaturum, a quo plurima inferenda Israelitis mala. Hazael valetudinem Regi Prophetæ nomine annuanciavit, sed mane alterius diei ipse madentis culcitram ori adstrictam spiritum decumbentis interclusit. Regnum dein invasit.

Sed cordi erat Joram expeditio in Ramoth Galaad a Syris jam occupatam. Quare propius ad Urbem exercitu adducto, cum oppugnandam aggrediretur, vulnus lethale contraxit. Igitur Samariam curationis gratia delatus, Optimates suos ad prosequendam obsidionem reliquit. Interea Jehu, exercitus loco Joram Imperator, clam in Regem manu Prophetæ ab Eliseo missi inunctus est (m); totumque demum arcanum cum amicis communicans, statim ab illis & caetero demum exercitu in Regem salutatur. Novus igitur Rex reducto ab obsidione exercitu in Joram processit, qui una cum Rege Juda & Prophetis Baal necesse sublatus est.

Cum Jehu confirmando sibi Regno curas verteret, Hazael Rex Syriae variis secundis praeliis Israelitas affligebat (n). Processerat usque Geth urbem Philisthaeorum, cum obsidendam Jerosolymae consilium inivit. Praesentissimo periculo declinando Joas Rex Juda quidquid auri argentique in Sacris & Regis arariis invenit, ad hostes misit (o). Benadad filius Hazaelis, patris consilia sequutus, non infelicibus praeliis cum Regibus Juda & Israel conflixit (p); sed illum triplici victoria ad restituendas Urbes patri suo captas Joas filius Joachaz Rex Israel adegit. Eadem in Regem Syriae fortunam Jeroboam II. usus est;

k 4. Reg. 6. 24. 25. & seq.

l 4. Reg. 7. 6.

m 4. Reg. 8. 28. 29. & seq. & 4. Reg. 9. 1. 2. 3. 4. & seq.

n 4. Reg. 10. 32.

o 4. Reg. 12. 17. & 2. Par. 24. 23. p 4. Reg. 13. 3. 22. 25.

q 4. Reg. 14. 25. & seq.

r 4. Reg. 37.

s 4. Reg. 16. 7.

t Isai. 7. 4. 8. & 8. 4. & 10. 9. & 17. 1. 2. 3. Amos 1. 3. 4.

est; namque captam Damasco & Emath potissimis regionis Urbibus, Regno Israelitico, quales olim sub Davide obtinebant, limites restituit (q).

Post obitum Jeroboami II. res Israelis propè ad exitum turbatae sunt; qua opportuna occasione captata, Syri Damasceni exere cervicem susceperunt. Razin titulo Regis assumpto, initoque cum Phacee Regni Israel invasore foedere, ditionem Juda sub Regibus Joathan & Achaz sevisis excurrit (r). Impar ad resistendum Achaz, auxiliare copias a Theglathphalassare Assyriae Rege postulavit (s); rogavitque ut Damascenam ditionem infestans, aversionem hostium faceret. Rex igitur Assyriae in Razin profectus, Damascum cepit, evertitque, Regem neci tradidit, Syros in Transeuphratæam captivos traduxit. Ita Oraculis Isaiæ & Amos sua fides (t).

Erexit iterum cervicem Damascus; urbs enim opportunissimo loco sita, nullo habitatore relinqui non poterat. Captam credimus à Sennacheribo, exercitum in Ezechiam ducente, juxta ac Isaias 9. 9. insinuat (u). Holophernes pariter tempore Manafis ditioni suae adjecit (x). Mercatores Damasci ad Emporium Tyri venientes paulo ante captam eam Urbem à Nabuchodonosore, Ezechiel 27. 18. commemorat. Damascenos armis Nabuchodonosoris opprimendos Jeremias (y) praedixit; a quo facile jure armorum coacti, sicut & caeterae regionis Urbes, jugum subiere. Post solutam captivitatem, novis malis opprimendos Zacharias 9. 1. praenunciavit; quod facile spectat futuram sub Ducibus Alexandri captivitatem (z). Ex eo tempore res Damascenorum à Judæis secretæ; quare nos historiae hic modum imponimus.

u Vide nostrum Comment. ad Is. 17. 1. x Judith 1. 7. 11. 17.

y Jerem. 25. 9. 10. & 27. 8. & 49. 23. 24.

z Plut. in Alex. & Q. Curt. 1. 3.

IN OSEE PROLEGOMENON.

a Pseudo-Epiph de vita Prop. c. 11.

b Judith. 7. 3.

Osee filius Beri, oriundus, ut ferunt [a], è Belemoth in Tribu Issachar; an forte ex Belma sive Belmeon ad Estelon in eadem Tribu (b)? Patrem habuisse Beram, de quo 1. Par. 5. 6. Principem Tribus Ruben, Rabbinii asseruerunt; quare pertinuisse debuit ad eandem Tribum atque originem retulisse ex Belemoth in forte Ruben in Transjordanis. Sed haec omnia dubia sunt, nec ab Authoribus asserta satis auctoritatis tradita.

Vixit in Regno Samariae, sicut & vaticiniorum maxima pars Regnum illud spectat; quamquam plura etiam inter illa ad Regnum Juda pertinent. In fronte Operis paruisse illum sub Regibus Juda, Ozia, Joathan, Achaz, & Ezechia, sicut sub Jeroboamo II. Rege Israel, legimus. Profecto si regnantibus illis omnibus munere Prophetæ functus est, longè sanè vitam produxit; nam ab ineunte Ozia anno 3194. usque ad exitum Jeroboami II. anno 3220. spatium est 26. annorum. Exinde verò usque ad Ezechiam Regem Juda a. 3306. adhuc 86. anni excurrerunt; ut tota summa ad 112. annos ascendat. Si quid verò ex illis demas, ut 10. annos Ezechiae & totidem Oziae, neque enim per totum eorum Regum tempus prophetasse Oseam legimus, spatium saltem 92. annorum restat. Adde pariter, Oseam minus suscepisse, cum prophetioris esset aetatis; in ipso enim Prophetiae exordio foemina prostitutam ducere jussus est, è qua promptè satis liberos suscepit. Quando igitur tunc temporis vigesimum sive vigesimum quintum aetatis annum

ageret, debuit vitam produxisse ad 115. sive 117. annorum senectutem, quod supra eorum temporum experientiam videtur.

Veterum nonnulli dubitarunt (c), num inscriptiones in fronte minorum Prophetarum eos haberent Authores, & non potius Esdras vel alium quemcumque, scripta illa recententes. Ita e. g. quae in fronte Libri Osee legitur, ardua habet plurima; neque enim in Operis decursu quidquam vel minimum legitur, diuturnum adeo Propheete munus designans. Ut quid insuper nomina Regum Juda scriptum illud praeferat, cum in Israele Propheta versaretur? Propheetiam à versu secundo exordium ducere ex illis verbis satis insinuat: *Principium loquendi Domino in Osee: Et dixit Dominus ad Osee. Quidquid praecedit, totum aequè Opus spectat.* Primum autem vaticinium spectasse videtur exitum Regni Jeroboam II. ait enim Dominus: *Vistabo sanguinem Jezrael super domum Jehu (d).* Harum minarum fides non sub Jeroboamo II. quidem impleta est, cujus fuit diuturnum, quietum, & felicissimum Regnum; sed sub Zachariae ejus filio Regni successore. Neque res est à Libris sacris abhorrens, ut Librorum tituli alienam manu inferantur; plures enim hujus generis Psalmis adjectos, & nonnullos Isaiæ 21. 13. & 30. 6. animadvertimus.

Primus inter Prophetas creditur, cujus scripta superint (e). Quamvis enim coaevos habuerit Amos, & Jonam, utroque ad etatem Jeroboami II. spectantes, sicut & Michæam, Nahum, & Isaiam sub Achaz & Ezechia agentes; inivisse tamen munus, & vaticinia sua scriptis quam alios

c Vide nostrum Edit. Hieronym. pag. 727. Plerique dicunt, quod ab Esdra scribitur in omnibus Prophetis sic fuerit titulum, ut praescripto cujusque nomine, Propheetia, cujus sit, sequens notatur &c. Ita utrumque. Exemplar. Hebr. veritatis. d Osee 1. 4.

e Hieron. in Osee initio, Basl. in Isai. Rufin. Riber. Sancti. alii.

f Hieron. in cap. 1. Osee. Vide Usser. ad A. M. 3197. * Osee 6. 8. & 2. 2. 3. 1. 13. & 3. 1. 2. & 4. 3. 4. 5. & 5. 7. 8. & 10. 2. & 11. 7. & 13. § Osee 1. 10. 11. & 2. 1. 14. .. 24. & 3. 5. & 6. 1. 2. 3. & 11. 10. 11. & 13. 15. & 14. 6. & c. § Osee 9. 9. & 10. 9. Confer cum Judic. 19. h Osee 4. 15. & 9. 15. & 12. 11. i Osee 5. 1. i Idem 6. 9. k Osee 6. 8. & 5. 1. * Amos 6. 1 Osee 7. 11. & 3. 6. 13. & 9. 3. & 12. 1. & 14. 4. m Osee 9. 6. a Ita Epiph. de vita Prophetarum, Doct. in Synops. Isidor. de ortu & obitu Prophe. c. 40. Ita & Hebrai. b Josu. 13. 27. Num. 32. 36. c Hieron. ad Paulin. Joel filius Phatuel describit terram 12. Tribuum, eueid, bruchos, locustas, erugine vastante consumptam &c. Ita Theodoret. prafat. in Joel. & Amos. Romig. Lyr. Haiamo, Burg. Rabb. qui dant. d Vide Joel. 2. 13. 14. 16. & 2. 1. 15. 16. 17. & 3. 6. 8. 17. 19. 20. 27.

alios citius redegisse fertur. Oculatus testis spectavit non primam tantum captivitatem quatuor Tribuum sub Theglathphalassare, sed etiam alteram decem Tribuum sub Salmanafore; cum scilicet capti Samaria Regnum Israel penitus extinctum est. Quin & post ea tempora oracula fuisse S. Hieronymus (f) autumavit. Primus versus cap. 1. obitum Zachariae Regis Israel, & quae obitum Jeroboami consequutura fuerunt mala usque ad verbum 6. persequitur; deinceps usque ad cap. 3. captivitatem Israel praedicat, Persuasum habemus, pra oculis habuisse aliquando primam captivitatem quatuor Tribuum sub Salmanafore; quamvis oracula illius ab aliis secundae captivitatis discerni, vix ac ne vix quidem possint. Ubique erumnas & captivitatem Israelis tamquam commune malum ingerit; hic totus versatur, huc illius omnia recidunt (*), quamvis post tot mala relevandis animis, futurae liberationis & solvenda captivitatis spem excitet (§). Perpetuus est scelus Israelis, & Idololatria Ephraim insectator; a quibus nihil alienum sceleri, & abominationibus factum esse dicit. Exprobrat licentiam Gabaitis parem (g). Idola colebantur Dan, Bethel, & Samariae; sicut etiam Galgalis (h), in monte Thabor (†), Sichimis (i), in montibus Galaad (k), & Bersabee (*). Frustra illos conari demonstrat, ut alienigenarum ope ab ultione se Domini subducant; cum pro eo quoddam Aegyptios, & Assyrios implorarent, a Deo potius roganda fuisset criminum poenitudine venia (l). Monet insuper post captam regionem suam in Egyptum confugientes non salutem ibi, sed mortem inventuros (m). Dejiendos

aureos vitulos, prostratosque in Assyriam asportandos praedicat (n). Neque in scelera Regni Juda mitius invehitur, eos maxime verbis castigans, qui Galgalim (o) ad idola colenda frequentarent; superventurum dicit cap. 8. 14. in regionem Juda Sennacheribum Regem Assyriae; ac tandem, serius quidem quam decem Tribus, cap. 1. 7. futurum ut ipsi quoque pari servitutis iugo, pari etiam soluta captivitatis privilegio premerentur donarenturque (p). Ejus vaticinia multa caligine obvoluta sunt [q]; quod tum ex ipsa rerum natura, utpote qui multum a nostra cognitione remotas historias, parumque ex monumentis illorum temporum exploratas inuait; cum etiam ex ipsa styli indole derivatur. Libri Regum multo contractiorem historiam postremorum Regum Israel persequuntur; ac vicissim ne verbum quidem de illis in Paralipomenis. Ex quo operosior Minorum Prophetarum interpretatio. Stylo utitur presso, & conciso, desultorio pariter, saepe ex uno in aliud argumentum, ex uno in aliud tempus personamque, non per viam sed veluti per saltum transiliens. Osee, ait S. Hieronymus Praef. in 12. Prophetas, commaticus, & quasi per sententias loquens. Obtruncata sententia Lectorem suspensum, ejusque prudentia, quod deest, suppleendum relinquit. Interdum tamen plura miscet vivida & audaciora, plures etiam fatis concinnas addit similitudines, quas applicandas Lectori relinquit; vel statim significatas deserit; unde multum de illarum elegantia atque argumenti connexione Lectores fugit.

e Vide Hieron. in Praefat. ad Joel, & in Amos initio, Sanct. Livell. Drus. Mercet. alios passim. n Osee 8. 5. & 10. 5. 6. o Osee. 4. 15. p Osee 10. 11. q Hieron. Praefat. in Osee & in sine Comment. in cap. 14.

IN JOELEM PROLEGOMENON.

Joel filius Phatuel, e Tribu Ruben (a), uti ferunt, seu potius Gad, (b) ex urbe five regione Betharan in transjordanis. Appellatur etiam Betharamphite; & ab Herode de mum Livias, seu Julias dicta. Vaticinia sua in Regnum Israel edidisse S. Hieronymus (c), aliique plures autumarunt. Sed ejus vaticinii unicus scopus, quod alioqui certum exploratumque est sola Libri lectione; Regnum Juda statuentum est (d), quemadmodum sanior Commentatorum pars ultrò fatetur (e). Quo tempore vixerit, & munus iniverit, variant Interpretes. Fames atque locustarum pestis, quod tamquam malum praesens deplorat, unica conjectura est, unde dicatur de tempore Prophetiae argumentum. Verum, cum ea de re nihil habeatur in Sacra Scriptura expressum, nihilo minori

negocio certa ejus rei epocha statueretur. Famem descripsit Jeremias 12. 4. 13. & 14. 1. &c. alteram Amos 4. 7. 8. 9. altera sub Joram 4. Reg. 8. 1. &c. legitur. Viri quidam docti (f) opinantur, famem apud Joelem ipsam esse, quam Amos deplorat, questus nihilo ex ea re sapientiores factos Israelitas. Inde verò deducunt, Joel aliquanto seniores fuisse pra Amos; cum postremus hic Propheta malum illud tanquam praeteritum; Joel verò tanquam praesens commemoret. Sed quis facient, quod Amos, cum sub Ozia Rege Juda, & Jeroboamo II. filio Joas Regis Israel vixerit (g), multò proinde senior est Joelle, qui extincto jam Regno Israelis, quantum ex ejus Scriptis colligimus, munus Prophetiae gerebat (h)? Quantum ad famem, sub Joram septennii flagellum fuit; cum fames sub Joelle uno vel altero anno

f Condam. & Usser. ad A. M. 3197. Vide etiam P. Perizon in Prophetas, qui vaticinium Joelis componit cum anno 20. Ozie, & 36. Jeroboami 2. g Amos 1. 1. h 4. Reg. 8. 3.

i Hieron. Praefat. in omnes Prophet. k Theodoret. in Prologoio omni. Prophet. Clemens Alexand. lib. 1. Strom. August. de Civit. 1. 18. c. 27. Rufin. Grot. alii. m Seder Olam, Kimchi, R. Salom.

duraret. Non est igitur altera cum altera confundenda. Fames, de qua Jeremias cap. 8. & 14. & 15. & 16. sub Josia facile, seu potius Sedecia, expeditione Nabuchodonosoris in Judaeos ineunte, contigit. Cum verò nihil de certo ejus anno in Scripturis designetur, nihil exinde pro adstruenda Joelis aetate sapientiores efficitur. S. Hieronymus (i) & plerique tum Veterum (k) tum Recentiorum, Prophetas Joelem & Osee coaevos statuunt, juxta solenne Interpretibus S. Hieronymum sequentis axiomata: In quibus tempus non praefertur in titulo, sub illis eos Regibus prophetasse, sub quibus & hi, qui ante eos habent titulos prophetaverunt. Quae illorum regula non usque adeò asserta reputanda est, quin saepe fallatur; uti, si alio nunquam, certè exemplo Jone apertissime demonstratur; vetustior enim quam Amos, quamquam in censu Prophetarum inferior ordine statuitur (l). Graeci quidem etiam alium in recensendis minoribus Prophetis ordinem ab Hebraeo sequuti, persuasum planè non habebant, Biblia Hebraica, quae nos duces in Vulgata sequimur, temporum ordinem tenuisse; neque enim aliter immutare illum ausi fuissent. Tandem si axiomata illud semel statuatur, alias Graeci, alias Latini consequtiones deducunt; quorum proinde alterutri errare cogentur. Nutat ergo hujus axiomatis fides. Judaei (m) persuasum habent, Joelem munus suum exercuisse sub Manasse, post dispersionem decem Tribuum; quorum sane opinio multum abluat à vero; siquidem vera sint, ut ea quae de fame apud hunc Prophetam leguntur, cum fame apud Jeremiam convenire; Deus enim Jeremiae roganti, ut tandem oppressum malis populum releveret, protefatur, se criminibus à Manasse in

Urbe commissis offensum, dispersurum tandem illos per gentes & populos (n). Primum & secundum caput Joelis pathetico stylo prosequitur famem in Judaea ex ariditate Solis, locustarum, & bruchorum vastatione deducam. Locustarum turbam veluti exercitum regiones vastantem, obsidentem Urbes, aedque ipsas infestantem describit. Ventorum è plaga Maris mortui & mediterranea furentium turbine excussum est in Judam malum; quod acerbitate sui ad luctum demissionemque animi populum deducens, id tandem effecit, ut calamitate depulsa largior benedictionum imber arva perfunderet. Haec omnia ipsa Joelis aetate eodemque spectante contigerunt. Ad sublimiora dein argumenta versus Propheta diem Domini praedicat, diem ultionis, à summo Judice in valle Josaphat exigenda; quibus oraculis spectatum credimus exercitum Cambysis, in valle Jezrael, five in magno Campo castra habentem; quem exercitum subito turbine dispersum fugatumque Ezechiel expressit cap. 38. 22. & Joel 2. 30. 31. tantum insinavit. Plura identidem subdit, ad literam non nisi in Jesu Christo & Ecclesia numeris omnibus impleta, uti e. g. cum de Doctore justitiae à Deo mittendo agit (o); de Spiritu Sancto super omnem carnem effundendo (p); de salute omnibus nomen Domini invocantibus concedenda (q); de Jerusalem perpetuo habitatore colenda (r); ac demum de salute pariter inde provenitura (s). Stylo utitur magnifico, & figurato: allegoriam locustarum sub exercitus specie egregie prosequitur. Res vividis coloribus ita pingit, ut non descripta, sed ipsi oculis subjecta videantur.

n Jerem. 15. 4. o Joel 2. 23. p Idem ver. 28. 29. q Ibid. ver. 32. r Joel. 3. 20. s Joel. 2. 32.

IN AMOS PROLEGOMENON.

a Clemens Alexand. 1. 1. Strom. Epiphani. de vit. Prophe. Cedren. Compend. hist. b Patri Isaiia nomen erat Amos. Prophe. verò Hamos. c Hieron. Theodoret. alii passim. d 2. Par. 2. 11. 6. Hieron. Mercet. Grot. alii. Kimchi constituit in Tribu Aser, & S. Epiphanius in Zabulon. e Amos 7. 10. 11.

A Mos, quem alii praeposterè (a) cum patre Isaiæ (b) confundunt, oriundus erat, juxta communem sententiam (c) è Vico Thecue in Tribu Juda (d) quatuor leucis à Jerusalem meridiem versus. Nos tamen eum locum sedem fuisse Prophetam, non patriam autumamus. Ortus est enim in ditione Israel, ad quam potissimum Propheta destinatus erat. Amasias Sacerdos Bethel virum sanctum ad Jeroboamum II. Regem Israel accusavit, calumniam fruens: Regem Israel accusavit, calumniam fruens: Rebellaovit contra te Amos in medio domus Israel (e). Dein quasi sententiam Regis ferret, denunciavit: Qui vides gradere, fuge in terram Juda, & comede ibi panem, &

prophetabis ibi. Quam ob injuriam queritur frequenter in suis Scriptis Propheta. (f), graviter etiam invehens in scelera Israelitarum, veluti si omnia oculatus testis habuisset explorata. Primis visionibus in Bethel dignatus est (g); quò non aliunde venisse, sed veluti loci gentilis videtur. Non est igitur à vero absumile, eandem regionem patriam habuisse; nec Thecue nisi pellente Amasia venisse. S. Hieronymus in Amos 5. natum quidem in Tribu Juda asserit, nullà tamen allatà opinionis suae conjecturà; sed eà tantum ductus persuasione, quae Prophetam è Thecue arcessit. Pastoritium agebat, compungendique ficubus agreffibus, quo facilius maturefcerent, (b) juxta morem regionis, vitam toleravit;

f Amos 2. 12. & 3. 7. 8. g Amos 7. 10. h Amos 1. 1. & 7. 14.